Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 337
Quelle:
Copyright:

Ruth, *Regum*, *Job*, *Daniel*, *Tobiae*, *Judith*, *Esther*, *Machabaeorum* et *Apocalypseos* illustrantes, ita, ut quaevis pagina quadrifariam in longum secta columna angustiore 1. Expositionem, latiore 2. Picturas quatuor, rursum angustiore 3. Expositionem, et latiore 4. Picturas quatuor contineat. Duae porro Picturae semper ad idem pertinent; prior enim historica est, allegorica altera, omnes pro aevi gustu fundo aureo nitidissimo coloribus superinductis. Atque, ut res in exemplo magis pateat, *Pag.* 1. Pictura prima Deum sistit sinistra Globum terraqueum adpendentem, uno ejus Hemisphaerio candido, altero atro. Addita Expositio: *Hic diuidit dominus diem a nocte. i. lucem a tenebris.* Pictura altera illi subjecta repraesentat hinc Ecclesiam Angelo familiariter utentem, illinc Impios se suaviantes, quos malus Daemon complectitur. Ait Expositio: *Claritas diei significat claritatem angelorum et sancte ecclesie. Nox significat tenebras mundi. cupiditatem. luxuriam. inuidiam. superbiam et alia peccata.* Atque ita de ceteris paginis, quas omnes margo auro coloribusque illustris in quadrum oblongum cingit. In ora supera paginarum adscriptus est Liber Biblicus, initia et fines singulorum in margine extero. Singulare illud habet *Job*, quod ultima ejus *pag.* quae est 162. non tantum pictus exhibeatur *Gregorius M.* columba scribentis humero insistente, sed facti hujus narratio una cum exhortatione ejusdem Patris utramque Expositionis columnam impleat, et loco 6. posteriorum picturarum charactere aureo quadrato *Jobo* texatur elogium, quod incipit: *Ecce Finis Istius Libri Job, Qui Nobis Omnibus Est Exemplar Pacientie* &c. *Gregorium* ob sua *Moralia in Job* huc adlitum reor. Expositio raro tam verbosa est, ut quadrum infra egrediatur, si *Apocalypsin* demas, in qua frequenter id accidit. Finit illa: *et sibi bonum non attribuunt sed gratie saluatoris.* Aderat eodem loco marginis externi Inscriptio quaedam lineis caerulis et rubris pulcre alternantibus, sed illam, nescio quis, homuncio derasit, unde neque Expositionis Compilatorem, nec Ἐγκοδιωκτην sumtuosi et regii hujus Operis edicere integrum est, in quo si figurarum inconcinnitas risum quandoque moveat, facile ignoscet Spectator, qui suis quaeque temporibus pensitat. Cf. Cod. seq.

CCXXVI.

Codex membraneus gall. Sec. XIV. Folior. geminorum 66. f. maj. singularis et splendidissimi operis, quem pictum potius, quam scriptum dicas; Textus enim non nisi angustum cujusvis paginae utrinque latus occupat, cetera Picturis tenentur, et ita quidem, ut semper binorum foliorum paginae, qua connivent, depictae sint, qua divergunt, purae relictae. *Biblia historicoallegorica iconologica* compellare placet Librum nullam ceterum ἐπιγραφην praeferentem, C. 1001